



Samelbd.

0/0

die,

76  
INTERPRETATIONIS  
ALLEGORIAE HOMERICAE  
DE  
ERRORE ET PRECIBVS  
PARS POSTERIOR.

---

QVA  
AD ORATIONES VIII.  
IN SCHOLA TORGAVIENSI  
D. XXII. ET D. XXV. MARTII. A. MDCCCLXXXV.  
AVDIENDAS  
PATRONOS ET FAVTORES

INVITAT  
M. TRAVGOTT FRIDERICVS BENEDICT  
LYCEI RECTOR.

---

LIPSI AE  
EX OFFICINA SOMMERI.

ALPHABETUM HOMERICUM

ERRATA ET CORRIGENDA

IN ALPHABETUM HOMERICUM

PATRONOS ET LAVTORES

IN ALPHABETUM HOMERICUM

ALPHABETUM HOMERICUM





§. I.

**D**uplicis Allegoriae de precibus atque errore interpretationem, quam nuper incepti, illa quoque animaduersio adiuuerit, audaciorum et *exquisitiori arte effictam videri de precibus imaginem*, quam quae erroris naturam depingit. Inter homines enim, quos certa erroris vincula cum ipsis quasi incunabulis constringunt, facillime deprehendi errorem, cui quoque iusto velocior temeritas non sine plurimorum offensione perpetua adsit comes, nemo non tristi edoctus experientia fatetur; sed precum non ea est inter homines frequentia, neque, quod Deus auertat, tristi semper vultu et inuiti ad illas fundendas accingimur, cum animi grati laetique propria esse soleat precatio. Itaque doctior atque ingenio summi poetae accommodatior est illarum precum descriptio, quibus interdum propter errores commissos deprecamur; et plurimum facere ad huius de precibus allegoriae commendationem videtur, quod eius imaginem totam non facile quisquam sine altera de erroribus adiuncta imagine intellexerit. Sed haec excogitata erroris imago, perpetuam omnium erroris naturam depingit, ideo.

ideoque, quamvis quoque sit elegantissima, facilius in animum incurrere potuit, neque longa indiget, cum primum eam cognoveris, indagazione. Quae cum ita sint, optime quoque intelligitur creberrima poetarum imitatio, qua erroris variam descriptionem dederunt, cum illam de precibus allegoriam plane intactam relinquerent. Innumeros enim eosque tristissimos edit effectus animi humani error et quaecunque vllibi vitia in his terris grassantur totidem veluti filias eius deterrimas conspicimus: qua igitur allegoria vt licuit poetarum principi, eandem deinceps pro ingenio cuiusque immutatam varia poetarum carmina reddiderunt, vt infra exemplis quibusdam demonstrabimus. Precum autem descriptionem, earum praesertim, quibus propter peccata veniam exoramus, non alia facile allegoria propositam leges, quam quae Homeri ingenio debetur, nisi metaphoram in libris diuinis frequentem huc velis referre, qua *preces cum sacrificio* optimo eoque gratissimo *comparantur*. Interim Homeri vestigia pictores quidam et antiqua et nostra aetate pressisse videntur, quod splendidissimo *APELLIS* artificio inprimis confirmare ausim, cuius aliquo loco *LVCIANVS a)* mentionem iniecit. Cum Apelles enim graui tempestate in Aegyptum aduectus praeter aliorum non paucorum invidiam Antiphili quoque eadem pingendi arte minus clari calumnia angeretur, neque multum absuisset, quin proditionis reus a Ptolemaeo Lagi, in senso sibi rege, occideretur: absolutus tandem voluntaria vnus inter coniuratos confessione, atque Ephesum redux factus de rege Aegypti credulo et suspicionis labe nimium quantum infecto dulcem capere vltionem hac fere pictura audebat. In dextro tabulae latere sedit vir quidam insigni dignitate cultuque magnifico conspicuus, sed bene auritus, qualem fabulae Midam Lydiae regem effinxerunt: vtrinque duae mulieres adstabant, quarum haec *INSCITIAE*, illa *SUSPICIONIS* formam referret. Iam eidem viro manum porrigenti alia insignis pulchritudi-

a) in Libello: *de Calumnia*.

5

tudinis mulier accelerato fortique gradu appropinquat dextra facem quatiens ad flammam discordiae incendendam, sinistra trahens iuuenem, manibus versus coelum extensis deorum auxilia implorantem; cui quidem mulieri CALVMNIAE nomen tenenti, INVIDIA, FRAVS atque PRODITIO comites se atque sodales adiunxerunt. His omnibus tandem scissa et squalida veste PVDOR atque lacrymas effudenti et perterrito vultu respicienti VERITAS, longo quidem spatio remota, sed insigni cincta splendore succedunt.

Quamuis insignem picturae varietatem, atque imaginum copiam a summo artifice excogitatum, quilibet statim agnoscat, maxima tamen similitudo inter Homeri Allegoriam de errore et precibus atque illam Apellis picturam intercedit: cumque non raro imitari Homerum summi quique artifices decertarunt, quod vel solo PHIDIAE Ioue atque ZEVSIS Helena demonstrari *b*) posset, nihil impedit, quo minus Apellem quoque Homero duce primas quasi laudatae picturae lineas duxisse statuamus. Quis denique ignorat similem eamque praeclaram reliquorum artificum operam, qui deinceps eiusdem Apellis imitatione sunt delectati. Inter recentissimos saltem solertissimum aetatis nostrae artificem, CHONOWIECKI nominare mihi liceat, cuius manu exornatam nuper vidi picturam, qua iuuenis LAETITIAE amplexibus obuiam fertur splendida mulieris pulchritudine abreptus, sed pone eam tristis vetula sequitur macilento corpore et lugubri veste deformata.

Talia autem afferre vel ea de causa non poenitet, vt, quae laudatur eximia Homeri facultas, omnes carminis res gestas externis lectorum sensibus subiiciendi, his quoque exemplis appareat.

## §. II.

Sed haec haecenus. Pergam nunc in grammatica prioris loci Iliados I. interpretatione.

A 3

Quare

*b*) cfr. VALERII MAXIMI *Dicta et Facta Memorab.* Lib. III. Cap. 7.

Quare <sup>3</sup> *Ἄτη* errorem verterim, non longa excufatione opus erit, cum haec prior et propria fit verbi fignificatio, ad quam, vt plerumque folet, ipfe poeta in altero loco refpexit: <sup>3</sup> *Ἄτη ε)* ἢ *παντας ἀάται*, neque innumera defunt loca Homeri, in quibus folus hic verbi fignificatus locum habet. Non ignoro equidem, qui poft Homerum fcripferunt, auctores in altero potius noxae fignificatu, qui ex priori fequitur, vocabulum illud fumiffie, quare etiam HENR. STEPHANVS hanc folam verbis: *ἄτη, ἀτάω*, etc. notationem conceffit, fed Homerum legenti plurima obfcura manebant, nifi erroris fignificatum refpicere velimus. Sicut autem errori tanquam fundamento vitium omne fuperftruunt, ita quoque *Ἄτης* vocabulum latiffimo fenfu fumitur, neque cum CRT. BERGSTRÆSSERO <sup>d)</sup> contendam, latine *Discordiam* appellari hanc Deam. Nam *Discordiae* Latinorum, quod optime nouit vir doctiffimus graeca *Eris* refpondet, cuius in bellis proprium eft munus. Quare, vt hoc vtar, cum foedere violato ad manus confendas denuo concurrunt Troiani et Graeci, praeter Martem quoque *Eris e)* militum concitat animos: idemque aliis quoque locis apud poetas antiquos obferuari, docet ILL. HEYNIVS <sup>f)</sup>. Sed *ἄτη* latine vertitur apud poetas *fraudis* vocabulo. Ita Iuno irata de Aenea abfente quaerit apud VIRGILIVM <sup>g)</sup>:

*Quis Deus in fraudem, quae dura potentia noftri  
Egit?*

Ad quem locum ILL. HEYNIVS contra interpretes quofdam *ἄτης* vocabulum comparat. Si quam igitur defcriptionem vitiorum, quales funt furoris, discordiae, rixae etc. apud poetas deprehendo, conferam equidem Homeri locum, fed eandem depingi Deam, nullo

- c) Neque tamen cum EYSTATHII fcholiis faciam, in quibus *ἄτη* pro *ἀατη* pofitum dicitur. Nam fimpliciffima verborum origo *ἀατω* potius ex *ἄτω* deducere iubet. Locum ex Eufathio laudat STEPHANVS in *Thefauro Gr. Linguae*. T. I, pag. 589.
- d) In *Vocabulario Reali Script. Laz. et Graec.* Tom. III.
- e) *Iliad.* Δ, 440. fqv.
- f) ad VIRGILII *Aen.* X. 761.
- g) *Aen.* X. 72.



nullo modo affirmabo. Quae denique de Ates colle afferuntur, cui demum ab Ilo pars urbis contra Oraculi responsum imposita fit, et in quo Ate Dea primum ex coelo delapsa confederit, recentiora sunt Homeri aetate. Non enim verisimile videtur, eiusmodi insignem diruendae urbis causam nullibi, ne in illis quidem locis, quae Ates aduentum in his terris canunt, a poeta commemorari. Sed totam narrationem, quae huc spectat, vberius excussam legere est apud DΥΠΟΡΤΥΜ h) et ILL. HEYNIUM i).

σθεναρη τε και ἀρτιπος valida et velox. Optime annotauit HERACLIDES ad haec verba: κρατερον αὐτῆς το ἀφρον. ἀλογίς γὰρ ἀρμῆς ὑπόπλευς, δεσμῶς ὡς, ἐπὶ πασῶν ἰαθικῶν ἰεται. Nam quo quis maiori inficitia atque animi errore laborat, eo velocior quoque atque violentior eius est temeritas. Mens erronea nullo impedimenti, siue poenarum timore, qui impetum eius frangat, detinetur ideoque ad facinus quoduis perpetrandum male concitata ruit. Itaque huius imaginis memorem laudamus HORATIVUM, qui inter Augusti laudes Lib. IV. carmine ultimo refert:

— Ordinem

Rectum euoganti fraena Licentiae

Iniecit. —

Vbi quoque poetico more Licentiam sistit deam, non Ates dissimilem. Ad ἀρτιπος, addunt SCHOLIA MIN. ἀρτιος και ὕγις τοις ποσιν, quo quidem propria huius verbi significatio eruitur, sed non ea, quae huc quadrat. Nam propter sequentia: ἐνεκα πασας ποδων ὑπεκτροδες, velocitatem potius indicat, et optime comparatur cum verbo ποδαρκης et cum latino: *pernix* quibus etiam velocitatis notio simul inest. Ipsa adeo contractio vocis ἀρτιπος ex ἀρτιπας huc facere videtur, ut syllaba correpta celerius procurrat. Quare non mirum est, doctissimum huius loci interpretem, DΥΠΟΡΤΥΜ l), eis poetae versibus hunc nostrum ac-

COMB.

b) In Gnomologia Homeri, p. 108.

i) In notis ad APOLLODORVM p. 743

l) In l. I. p. 57.

commodare, in quibus ipse aurium sensus ad naturam descriptae rei percipiendam alliciat *m*) quia hic quater repetitum audimus dactylum. Sed nota sunt, quae nostra aetate *II. L. HEYNIUS n*) contra nimiam versuum sonos captandi sedulitatem attulit. Docet enim, ipsam orationis naturam ita esse comparatam, ut multarum rerum sonos exprimat. Interim non sustulit animadversione doctissima, vere in omnibus linguis adesse eiusmodi versus. Quid? quod ipse ad *Aen. VIII 439. sqv.* lectores brevitatem atque celeritatem verborum observare iubet: cui quidem loco addere Aeneae orationem in *Aen. X, 333. sqv.* nullus dubitaverim. Quare in nostro quoque loco *UYPORTI* subscribam sententiae, cum potissimum sequens versus pedum celeritate cum priori conspiret, atque interdum accedere quidquam ad magni poetae ingenium videatur, si vel in minutis rebus diligentia quadam splendet.

### §. III.

Quae iam reliqua sunt ad veram huius loci interpretationem, ex loco posteriori patebunt, cuius nunc sensum inquiramus. Verbis: *ἔγω δ' ἐν αἴτιος εἶμι* Agamemnon ipsum orationis sequentis consilium aperit, qua liberare se a culpa studet, aut Diis saltem, ne rege indignum eius peccatum videretur, erroris mali adscribit originem. Neque vero mirari quisquam debet, ipsum Iovem Deorum summum ad Agamemnonis defensionem proferri in medium. Nam non solum, quae supra iam dixi, malefacta quoque Deorum consiliis atque imperio apud poetas tribuuntur: sed ea de causa quoque antiquissimi rerum gestarum scriptores, h. e. poetae, si factum minus honestum enarrant, ne siue risum et contemptum aliorum excitarent, siue offenderent ipsos eius auctores,

*m*) plures quorum tamen numerus valde augeri posset, collectos legimus in *ROLLINI* libro: *de la maniere d' enseigner, et d' étudier les belles lettres.* Tome prem. de la lecture d' Homer. Article II.

*n*) in Disquisitione I. de carmine epico Virgilii.

res, Deos Deasue, vt in nostro loco fecit Agamemnon de coelo quasi deuocasse, et tanquam auctores eiusmodi factorum decantasse videntur. Qua quidem animaduersione verissima simul causa elici videtur, quare tot adulteria, caedes aliaque turpiter facta de Ioue potissimum et de aliis quoque Diis efficta legimus. Quis enim nescit, antiquitatem de Diis, vt de hominibus locutam et quoniam nondum imbecillos naturae humanae impetus a mentis emendatae consiliis distinguere satis nouerant, haud dissimiles diis cupiditates atque intemperantiam tribuisse, quae deinde, cum longo post tempore philosophorum accederet subtilitas o), partim negata penitus, partim Deo non indigne sunt explicata.

Ioui adiungit poeta *την μοιραν* h. e. Fatum, et eo quidem ordine, quo non apud Homerum tantum, sed vbiq; et apud Stoicos ipso occurrit p), vt Ioui subiectum et ab eo constitutum dicatur. Neque Homeri Fatum, quod h. l. vt Dea sistitur, ab illo Stoicorum quidquam differt, nisi quod diuini decreti notione de fato sinistro plerumque, qualem habent mortem aliaque rerum gerendarum impedimenta, adhibeatur.

Denique *ἡγορῆσις Ἐγνων* errorum causis annumeratur, quam et alibi eiusdem facinoris inculcant q). Sed ante omnia quaestionem mouet *ἔγνωτες* vocabulum, quo sensu a poeta sumatur. Latissime dici de *fatis tristibus* videtur, quae omnes homines siue in vita siue post mortem manent, et quibus *vel poenas luunt*, quo sensu vocabulum illud frequentissime occurrit, *vel arcano quodam Deorum consilio, quamuis nullum praecesserit facinus, onerantur*. Posterior significatus nostro loco aptissime conuenit. Nam nullius peccati antea commissi mentionem iniecit Agamemnon

o) Quare etiam MAXIMVS TYRIVS Dissertatione III. hanc Agamemnonis excusationem plane reprehendit.

p) illam enim opinionem, qua Stoici Deum ipsum fato subiecisse dicantur, non facile quisquam ex libris illorum certe comprobauerit. vid. LIPSIJ librum I. de constantia, cap. 13.

q) vid. *Odyss.* o, 233.

non, sed quae ceteri mortales in vita fortiuntur, eadem queritur fata sibi tristissima accidisse: imo ipsius, quem commiserat, erroris ansam ab hac Dea sibi datam refert. Ita *Iliad.* τ, v. 418. Xanthi Achillis equi os praeculisse Erinnyes dicuntur, quamvis Iunonis ope aperiretur. Ipsa vero equi oratio de instante Achillis morte habita fatis indicat sub Erinnyes vocabulo fatum Achillis tristissimum lateere, quod quidem non meruerat atque obscura futuri temporis caligine adhuc tegi debebat. Denique *Odyss.* v. 78. Pandareidae Erinnyum ministerio addictae h. e. tristissimis fatis in vita subiectae dicuntur, quamvis ipsae non illam meruissent calamitatem sed occulto quodam Deorum consilio immitteretur. Satis igitur patere videtur, quae h. l. Agamemnonis sit sententia: *Dei enim summi (Ζεὺς) fatis (μοῖρα) quae ordinauerit, usque tristissimis (Ἔργων) talem infecisse animo eius errorem.*

Adiecta vox ἡεροφοῖτις ab HESYCHIO varie explicatur: ἀερα ἡμφοισμένη, ἢ ἀορατος φοιτῶσα etc. sed magis aperte SCHOLIA MINORA explicant: ἢ δια τῶ σκοτες φοιτῶσα s). Quis igitur dubitauerit ἡεροφοῖτις idem velle, quod in EPISTOLA AD EPHESIOS II, 2. legitur: ὁ ἀρχὼν τῆς ἐξουσίας τῶ ἀέρος cum inprimis in tota Epistola σκοτες et φῶτος vocabula perpetuo sibi inuicem opponantur. Sed quid lateat sub illa in tenebris ambulatione et effi-

cacia

1) Quis non nimiam RICCI religionem in huius loci interpretatione mirabitur, qui *Dissert. Homeric.* 27. asinum Balaami loquentem ante oculos versari Homero contendit. Quin dicam, si qua similitudo inter haec duo loca stabilitur, poeticum Homeri figmentum, quo Xanthus tarditatis suae culpa nullum perire dicit, plane conuenire cum poetica Balaami eloquentia, quia asini alacritatem non suum retardasse iter, sed alia diuinitus obiecta sibi impedimenta praetendit. Ceterum Scholia minora ad hunc locum Erinnybus πάντα παραλογία καὶ τερασία adscribunt. Quod tamen nimis vniuersè dictum de aliis quoque valet Diis, mira quaeuis concitantibus.

2) Hoc vnum adiciam: in laudato Scholiorum loco pro: διτρευῶσα sine dubio legendum esse: διτρευνοσα, quod mendum forte vitio operarum in Editionem Heruagianam fatis vitiosam a. 1541. irreplit.

cacia iam quaeritur. Si ridicula Scholiorum Minorum nota ad Iliad. β, 57. in censum venire posset, Dea Erinnyis ambulare noctu diceretur, *ὅτι ἐν νυκτὶ βροτοὶ ἔ' προέβοντα*. Sed valeant eius modi nugae. Nam *Deorum tenebris inuolutorum propinquitas* apud poetas sexcenties effectus illorum reconditos indicat, qui partim saluti et commodis hominum consulunt, *partim damna ipsis atque calamitatem parant*. Priori significato legitur apud HESIODUM: *ἔργα καὶ ἡμέρ.* v. 124. vbi Genii, mortalibus custodes adiecti, vt secundam eorum fortunam tueantur, dicuntur: *ἦερα ἔσσομενοι*. Posteriori significato in eodem libro v. 221. de iustitia prauis hominum moribus violata occurrit, quae iam tenebris inuoluta hominibus iniustis damna adferret:

*ἦερα ἔσσομενη, καὶ ἀνδραποισὶ φερεσα.*

Iam eodem sensu certe in nostro Homeri loco atque etiam in Ilo N. F. adhibetur, id, quod oratio contexta utrobique satis suadet.

*ἡματι τω*, comparari meretur cum heb. *מִיָּמֵינוּ*, vt nuper DRASDORF v. CL. in Dissert. de *comparatione Moysi et Homeri* fecit. Quamvis enim vno die, vt libr. I. Iliad. enarratur, ira Agamemnonis et Achillis eo vsque processerit, vt Briseis Achilli raperetur, propter irae tamen per plures dies continuationem *ἡματι* potius de tempore, vt statim denuo v. 98. occurrit, sensu latiori sumtum interpretor.

*γερας* proprie, *quicquid in suo genere praecipuum et honorificum*, indicat. Ita Iliad. v. 182. dicitur de dignitate regia. Deinde, quia in bellis semper *honoris* rationem maxime habebant veteres atque praemia illa cuiuscunque pretii essent, honoris potissimum augendi specimina dabant, *γερας* etiam *quoduis fortitudinis praemium*, quod alii *ἀρετῆος τ*) dicitur, significat. Cum igitur, Chryseide patri reddita, Agamemnon sibi Briseidem, Achillis praemium u), tradi iuberet, non quidem propter Briseidis discessum

B 2

tan-

t) vid. s. v. MORVM in Indice ad ISOCRATIS *Panegyricum*.

u) Plura exempla mulierum pro fortitudinis praemio donatarum lege apud FEITHVM *Antiquit. Homer. L. IV. cap. 16. §. 6.*

tantopere excaudit Achilles, quam propter ignominiam, qua simul, ablato iterum dono, afficiebatur, quasi dignus tanto honore non fuisset. Quae certe est optima Achillis irati exculatio.

*αἰῶρος ἀπνοσων* cum notum sit ex primo Iliados libro, non ipsum Agamemnonem, sed duos eius praecones abduxisse Briseidem ex Achillis tentorio, optime explicabitur, *αἰῶρος* de excogitato Agamemnonis consilio, quod ipse sua sponte, nullo alio heroum instigante, cepit. Saepe alibi ita occurrit. Vide ERNESTI ad *Xenophont. Memorab. Socrat. I, 3, 7.*

*Θεὸς δὲα πάντα τελευτᾷ.* Ad haec verba DYPSPORTVS in *Gnomologia Hom.* male loca congestit ex sacris et profanis scriptoribus, quae de summa Dei potentia agunt. Agamemnon potius de Deo omnium rerum atque factorum cultiore loquitur, cui vel ipsa hominum mala originem debeant. Nolo iam Theologorum excutere quaestiones, qui permitti tantum, non immitti malum a Deo docent, illam enim subtilitatem mea mente nondum penetrare potui. Malum non ab ipso committi Deo, ut dicitur Agamemnon, exinde apparet, quia omnis mali notio in quodam siue mentis siue corporis virium defectu cerni videtur, qui nullo modo cadit in Deum. Huc accedit, quod mala quaeuis mirum in modum ad ipsum virtutis exercitium eiusque perfectionem, poenae simul immisissis, ubique conducunt, neque infelicitatis, vitiorum culpa contractae, nullum finem esse posse, si Deus velit, concedimus.

Pessime igitur errorem suum his dictis fulciuit Agamemnon, quamuis etiam VIRGILIUS eandem Homeri sententiam de Deo quaeuis mala immittente saepius expresserit. vid. *Aen. II, 602.* et *V, 496.*

Iam *Ατῆ* appellatur *πρῆσβα* (pro *πρῆσβεα*) *Διὸς θυγατῆρ*: ad quae verba SCHOLIA MINORA male addunt: *ἔντιμος*. Nam aperte de antiqua errorum inter homines origine est sermo, quibus tamen nulla inde dignitas accesserit. Ceterum plane diuersos huic Deae natales tribuit HESIODVS in *Theogonia*. Quamuis enim *Ἄτῆς* voca-

vocabulum pro *Damni Dea* sumferit v. 230, quae Noctem habet matrem, nulli Deo mixtam, quare non bene cum nostra Dea comparari potest: illa tamen Dea: *Ἀπάτη*, quam sine dubio HESIODVS v. 224, sicut *ΣΕΒΕΣ* x) pro *Ἄτη* HomERICA posuit, etiam inter numerosam Noctis prolem refertur. Causa huius discriminis facile perspici potest. Cum enim Iupiter Homeri Deorum summus habeatur, quare etiam *κατ' ἐξοχήν* in nostro loco dictus est *Θεός*, facile etiam *Ἄτης* origo, sicut aliarum omnium rerum, ad eum referri potuit. Neque vero tantam causae suae commendationem attulisset Agamemnon, si Aten cum Hesiodo appellaret Noctis filiam, ab ipso effectu noxio sic appellatam.

Porro ab Homero ionica flexione y) *ἄγχιος* appellatur, quod, sicut latinorum *agrestis* (vid. ERNESTI *Clav. Cicer.*) de feris et inconditis moribus, et *ἄλομος*, quod sicut latinorum *perditus* de pernicie et damno illato, intelligitur. Denique *ἄπαλοι ποδες* etiam Deae tribuuntur. Quo partim innuitur, *tacito pede errorem incedere*, partim *celeritas eius* arguitur. Nam clanculum obrepit, quicumque molli vitur pede: ita errorum vinculis diu ante constricti tenemur, quam nos errare, et culpam commississe, sentiamus. Deinde, qui ambulando humum non calcet, celerius procedere solet, quam qui pede semper terram ferit: id, quod ad hominis temere agentis mores optime quadrat, qui in cursu semel incepto continuo profilit, neque lente solet festinare. Idem indicat adiectis: *ἔ γὰρ ἐπ' ἔδεις πιλναται*, atque etiam loco superiori verbum *ὑπευπερθεει* eandem et cursus celeritatem et claudesinam accessionem prodere videtur.

Verba: *κατ' ἀνδρῶν κραατα βανει* nolim explicare de errore hominum animis penitus inhaerente. Nam in Homero nondum deprehendere potui, animi sedem in capite collocatam, sed sem-

B 3

per

x) In sua Tabula cap. 5. et alibi.

y) Iones etiam cum Atticis hac vti *ὀμογενειῶν* cum aliis docet FISCHERVS v. CEL. in *Animadv. ad WELLERI Grammaticam* p. 137.

*per in corde mens posita laudatur*, quod et vocabulum: *Φεβες* et loca diserta Iliad. γ, 63: μ, 255, probant. Quare potius naturae rerum conuenienter *de hominibus tumidis et fastu impletis* explicauerim, qui capite erecto incedere solent; nam eo insolentiores sunt omnes, quo magis inscitia et animi errore laborant. Poetae sententia igitur *Ατη* non homines incuruatos aut animo demissos laeuit, sed elatos et suis viribus male confisos.

*βλαπτει ανθρωπος* etiam in loco Homeri priore occurrebat. Propria verbi *βλαπτειν* significatio: *impedire*, ex Homero satis liquet. Paulo infra in *Iliados* τ, 166, *βλαβεισθαι γενετα* dicuntur, quo minus procedere quis possit. Ante locum nostrum v. 82. ad verba: *βλαβεται αγορητης* addunt SCHOLIA MINORA: *εμποδίζεται* et Iliad. Ο, 724. ipse Iupiter dicitur *βλαπτειν Φεβας*: Ergo et hoc loco explicatur *de errore singuli hominis animum impediende*, quo minus verum videat et rectam rationis normam sequatur. Etiam vocabulum *ανθρωπος* ipso includit homines, qui errore constringuntur, vt poeta verbo poetico: *πεδησε* indicat, et laudatam verbi *βλαπτειν* significationem confirmat.

*ετερος* proprie *εις εν των δυω*, vt interdum latinorum *alter*, etiam h. l. ita sumitur, et quia nunc *εγ* particula adfirmationem vniuersalem includit z), optime verti haec possunt, *alterutrum* certe constringit suoque implet errore. Quae quidem vltima verba aperte rixam respiciunt, quae inter duos heroes Agamemnonem et Achillem agitata fuerat: quia cuiuslibet litis suae belli prima saltem femina alteruter mente spargit erronea.

#### §. IV.

Haec igitur erant, quae ad laudatam Homeri Allegoriam adferre in animo erat. Demonstrat in sequentibus Agamemnon vni-

z) vid. Hoogenenii doctrina particularum graec. p. 678. ex edit. SCHVITZII v. c.



vniversale erroris inter homines imperium, exemplo ipsius Iouis allato, qui Iunonis fraude inductus tantam aduersus Aten iram conceperit, vt extemplo ipse dextra coelitus in terram deiiceretur. Vt iam DAMMLVS in *Lexico Homerico* monuit, alius cuiusdam rei antiquitus gestae adumbratio huic certe subest enarrationi, cum reginae cuiusdam fraude rex hic vel ille inductus primas ei partes concederet, quem tamen minorem dignitate voluit fieri: quale de Isaaco fere enarrant libri diuini, vt se insciente Iacobus praeferretur. Multi interpretes, inter quos denuo RICCIUM nominare me pudet, IUSTINVM MARTYREM secuti sub Ate illa Diabolum coelitus in terram demissum intelligere volunt, quam totam rem bene tenuerit poeta. Enimuero nostra profecto aetate nondum inter Christianos conuenit, an vere coelitus in terram deiectus sit iste Diabolus, quanto magis infelicem illam Diaboli cum angelis pugnam ignorare Homerus debuit. Equidem Homeri locum contra ad veram imaginis poeticae de Diabolo in terram deiecto interpretationem vsurpo. Nam etiam apud poetas antiquos *in terram coelitus demitti dicitur, quicumque ibi magna siue commoda siue incommoda hominibus parit*, quem plane contrarium verborum sensum facile diiudicat contexta oratio. Errorem igitur, pro Dea laudatum in his terris grassari, quia Deus ita constituit, in Homero docetur, et APOCALYPSIS IOANNEA eodem modo *grauissimas peccatorum calamitates, quorum primam originem Diabolo tribuunt libri diuini, his terris ingenti multitudine aliquando immissum iri vaticinatur*. Angelorum pugna autem innuit, sanctos et pios perpetuo et vbique detestari malorum impie facta, neque defuturum ipsis, quin omnem aliquando opprimant illorum impietatem.

Illam autem Ates imaginem in aliarum descriptione Dearum certatim imitata est poetarum posteritas, et quo longius ab ipsa Homeri aetate sunt remoti, eo maiori artificio ytuntur. Ante alias poetarum descriptiones illae FVRORIS atque DISCORDIAE, a

PETRO.

PETRONIO a) factae laudari merentur, quia illis aperte aliarum imaginum, a poetis passim depictarum collectio subest. MILTONVS autem omnes alios longe superauit, non dicam ingenii elegantia sed ardore atque audacia, cum PECCATVM describeret b). Inprimis locum VIRGILII *Aeneid.* Lib. III, 425. sqv. et IACOB. *Epist.* I, 15. descriptioni suae subiecit, quam tamen stupere alios, quam imitari, satius erit. Varia, quae apposuit, sibi invicem repugnare videntur. A Diabolo natum dicit Peccatum et quidem cogitante tantum Diabolo. Deinde Peccatum, quamvis sit nata eius, maiorem tamen genitore suo potestatem accipit. Porro incesto huius Diaboli amore parit Mortem. Etiam cum Morte rem habet et canes in utero suo continuo latrantes suscipit.

Quae quidem omnia ut reprehendam tantum abest, ut potius a summo poeta proficisci agnoscam: nam vera peccati et naturae et effectibus repugnantia inest, sicut illam in sua descriptione acutissime retinuit.

#### §. V.

Nunc paucissimis ad quaedam librorum diuinorum loca me conuertam, quae inprimis propter egregiam picturae simplicitatem notatu dignissima videntur. In loco GENES. IV, 7. *Peccatum cum Fera comparatur*, quae fame impulsae caesae ostio appropinquat et inhiat praedae suae, quam vero repellere atque occidere debeamus. Ceterum hic locus est varie tentatus ab interpetribus, quos tamen omnes laudare instituti ratio non patitur.

s. v.

a) In Satyrico cap. 124.

b) in Paradiso deperdito lib. II.

S. V. DATHIVS, cuius scholis doctissimis me plurima debere, non ingratus cognosco, putat cum meretrice peccatum comparari, quae ante fores vigilias agat. Sed tanta meretricis impudicitia perraro enarratur et si vel maxime possibilem dixeris, certe Caini aetate, meretricem cogitare non possum. Deinde verbum רכז reliquorum interpretum sententiam confirmare videtur, qui Feram innui malunt. Denique רשע, quod s. v. NOYSENI sententia desiderium rei, qua caremus et quam anquirimus, proprie indicat, etiam ad feram, fame consumptam bene referri posse videtur.

Alter locus est SIRACIDAE cap. XXI, 1. seqv. Primum comma plane conspirat cum priore Homeri loco, quem explicauimus: *si quid peccasti, noli pergere in ea via, sed reuertere, atque de omnibus omnino, quae commissi, deprecare.* Iam similitudine a viatore ducta, qui a vera deflexit via, pergit cum serpente comparare peccatum, propter occulta, quae adfert, pericula.

Ita *Iliad.* γ, 33. sqv. Alexander Menelao conspecto tam perterritus, recessisse dicitur, quam qui draconem in montium salibus vicinum cernit, et VIRGILIUS *Aen.* II, 379. sqv. Homerum maiori, opinor, arte imitatus eandem comparisonem ad Androgeum refert, qui illa Troiae funesta nocte in Aeneae cateruam infuscus incidit.

Propter orationem contextam sine dubio lectio *δηξεναι* in Siracide est praeferenda. Deinde scriptorum Orientis more nouo tropo peccati poenas cum leonum dentibus et cum gladio ancipiti comparat. Quibus omnibus damna peccati grauissima depinguntur. Nam leonis imaginem in libris diuinius millies repetitam nemo ignorat, si de re magna atque horrida est sermo atque alibi etiam leonum dentes, vt *Iobi* 4, 10. *Ioel* 1, 6. et gladius

anceps, vt: *Pfalm.* 57, 5. *Prouerb.* 5, 4. *Luc.* 2, 35. *Hebr.* 4, 12. de doloribus acerbissimis, qui intimum penetrant animum adhibentur.

Denique inprimis huc pertinet locus *ROMAN.* VII, 8. seq. vbi *Peccatum cum Domina comparatur, quae sedem in me letalem fixerit*, mihi imperare atque nolenti volenti leges praescribere solet. Ita commate v. 17. et 20. Paulus vitiositatem sibi inhabitantem a persona sua aperte distinguit. Quis autem concedet, homines eorumque errores plane diuersi quidquam constituere? Paulus igitur h. l. fecit, quod alii omnes facere solent, qui de re obscura neque sub sensu cadente loquuntur, rem nimirum separate et forma indutam humana tractant. Plane vt *VIRGILIUS Aeneid.* VII, 346. sqv. pectori Amatae anguem esse iniectam canit, quae ad tantos eam furores concitauerit.

Supereft iam, indicare orationes in Lyceo nostro huic temporis accommodate habendas. Per biduum prodibunt quaterni iuuenes atque spem laetissimam de studio ipsorum humanitatis conceptam pro viribus confirmare studebunt.

d. XXII. Martii.

I. IOANNES CAROLVS BEPPEL, *Annaburgensis*, oratione lat. laetitiam, qua *Christum post sua tempora natum maiores quidam excepturi fuissent*, demonstrabit et vernacula Lyceo nostro vale dicet.

II. IOAN-

II. IOANNES GODOFREDVS VLLRICH, *Roek-  
nitia-Misnicus, de terrore vitiorum comite; et*

III. IOANNES HENRICVS SCHNEIDER, *Schue-  
na-Misnicus, de amicitia Christiana, vernacula lingua disputabunt.*

IV. GEORGIUS TRAVGOTT FISCHER, *Wesin-  
ga-Misnicus, veritatem omnis calumniae victricem carmine theotisco  
laudabit et Amico in Academiam abituro Commilitonum nomine  
gratulabitur.*

d. xxv. Martii.

I. CHRISTOPHORVS CAROLVS STVIBEL, *Bau-  
fitiensis latine: animum praeclare factorum conscium delineabit et ora-  
tione vern. discessum ex Lyceo nostro indicabit.*

II. ERNESTVS GOTTLOB WINKLER, *Dahla-  
Misnicus, de morte innocentis oratione vernacula et*

III. CHRISTOPHORVS FRIDERICVS LIEBE,  
*Lebina-Saxo, de fato Christiano, latina oratione dicent.*

IV. ERNESTVS AVGVSTVS SPITZNER, *Trebi-  
tia-Saxo, de honore virtutem umbrae instar comitante vernacula ora-  
tione dicturus Amico vale dicenti fausta quaeuis Commilitonum  
nomine apprecabitur.*

Fauete igitur studiis nostris PATRONI SPLENDIDISSIMI, AN-  
TISTES SACRORVM SVMME VENERABILIS, SENATVS CIVITATIS  
AMPLISSIMÉ, MINISTRI SACRORVM PLVRIMVM REVERENDI,  
MAGISTRI LYCEI CLARISSIMI et RELIQVI FAVTORES LITTERA-  
C 2 RVM

RVM HONORATISSIMI. Quodsi enim interesse hoc biduo scholae  
nostrae exercitationibus non dedignamini, noua quoque dignitas  
Musis nostris accedet atque ipsarum cupiditas optimis quibusque  
placendi magis magisque incendetur. Scripsi Torgauiae. Pridie  
Calendas Martias. A. MDCCLXXXV.



AB: 155056

VD 18

ULB Halle 3  
003 085 112



TA → SL  
was 75 flut /

R

VD 17







INTE  
ALLEGORI  
ERRORE

PARS

AD ORA  
IN SCHOLA

D. XXII. ET D. XXV.

AVI

PATRONOS

INV

M. TRAVGOTT FI

LYCEI

LIPS  
EX OFFICIN

